

in mutatione figurae, in isodynamiis, reliquisque id genus variandi
 rationibus; altera in congerendis, dilatandis, amplificandis argu-
 mentis, exemplis, collationibus, similibus, dissimilibus, contrariis
 LB 6 atque aliis | hoc genus modis, quos suo loco reddemus accuratius,
 141 sita est. Hae quanquam alicubi sic coniunctae videri possunt, vt
 haud facile dignoscas, ita alteri inseruit altera, vt praeceptis potius
 quam re atque vsu discretiae videantur, nos tamen docendi gratia i-
 ta separabimus, vt neque superstitionis in secando neque rursum
 145 negligentiae merito damnari possimus.

QVAS AD RES CONFERAT HAEC EXERCITATIO. CAP. VIII

Nunc quo studiosa iuuentus propensioribus animis in hoc studium
 incumbat, quas ad res conducatur, paucis aperiemus. Principio qui-
 dem in totum ad phrasim illam non parum adferet momenti haec
 150 variandae orationis exercitatio. Peculiariter autem conferet ad vi-
 tandam *ταυτολογία*, vitium cum foedum tum odiosum. Ea est e-
 iusdem verbi aut sermonis iteratio. Neque raro vsu venit vt idem
 nobis crebrius sit dicendum. Vbi si destituti copia aut haesitabi-
 mus aut *κόκκυγος* in morem eadem identidem occinemus, neque
 155 poterimus sententiae colores alios aliosque vultus dare, pariter et
 ipsi ridiculi erimus, nostram prodentes infantiam, et taedio mise-
 ros auditores enecabimus. Est tautologiva peior *ὁμολογία* quem-
 admodum Fabius ait, quae nulla varietatis gratia leuat taedium,
 estque tota coloris vnus. Quis autem est auribus vsque adeo pa-
 160 tientibus, vt vel paulisper ferat orationem vbique sui similem?
 Tantam vbique vim habet varietas, vt nihil omnino tam nitidum
 sit, quod non squalere videatur citra huius commendationem.
 Gaudet ipsa natura vel in primis varietate, quae in tam immensa
 rerum turba nihil vsquam reliquit, quod non admirabili quodam
 165 varietatis artificio depinxerit.

Et sicut oculi diuersarum aspectu rerum magis detinentur, ita semper animus circumspectat in quod se veluti nouum intendat. Cui si cuncta sui similia occurrant vndique, taedio protinus auertitur. Atque ita perit totus simul orationis fructus. Hoc igitur tantum ma-
 170 lum facile vitabit, cui promptum erit sententiam eandem in plureis formas vertere quam Proteus ipse se transformasse dicitur. Neque vero mediocriter contulerit haec exercitatio ad extemporalem vel dicendi vel scribendi facultatem praestabitque, ne subinde vel haesitemus attoniti vel turpiter intersileamus. Neque difficile fue-
 175 rit vel temere coeptam orationem commode ad id quod volumus deflectere, tot formulis in procinctu paratis. Praeterea in enarrandis autoribus, in vertendis ex aliena lingua libris, in scribendo carmine, non parum adiumenti nobis attulerit. Siquidem in iis, nisi erimus his instructi rationibus, saepenumero reperiemur aut perplexi aut duri aut muti denique.
 180

QVIBVS EXERCENDI RATIONIBVS HAEC FACVLTA PARETVR. CAP. IX

Deinceps, quibus exercitationibus haec paretur facultas, reliquum est vt paucis admoneamus. Praeceptis diligenter memoriae mandatis, saepius ex industria sententias quasdam sumamus easque
 185 versemus quam numerosissime, quemadmodum monet Fabius, 'velut eadem', inquit, 'cera aliae atque aliae formae duci solent'. Is porro labor vberiore adferet frugem, si complusculi inter se conflictentur, vel voce vel scripto, proposito in medium themate. Tum enim mutuis inuentis adiuuabuntur singuli, et velut an-
 190 sa praebita plura quisque inueniet. Deinde totum aliquod argumentum pluribus tractabimus modis. Qua quidem in re conueniet Milonis illius Crotoniatae solertiam imitari, vt principio bis, deinde ter, deinceps saepius ac saepius vertendo ad eam facultatem proficiamus, vt iam sine negotio centies ac ducenties variare possimus.
 195